CHRISTIANI A TEUTE-BURG, NOBILIS FRANCI,

SOLIDA AC NECESSARIA

DISQUISITIO,

DE

FORMA IMPERII ROMANO-GERMANICI,

AD

SEVERINI DE MONZAMBANO

CAPUT VI.

DISS. DE STATU IMP. GERM.

M DC LXVIII.

Tacitus:

Breve confinium artis, & falſi.

BIBLIOTECA NAZIONALE
FIRENZE
1872

AD

SEVERINI DE MONZAMBANO

CAPUT VI.

DE FORMA IMPERII GERMANICI.

§. 1.

Quemadmodum corporum naturalium juxta atq; artificialium, ſanitas, & habilitas, ex apta partium inter ſe harmonia & connexione reſultat.) Perperam dicitur, ſanitatem fieri ex apta partium inter ſe harmonia & connexione: ut norunt Phyſici ac Medici, utq; hinc apparet, quod corpori, cujus membra bene inter ſe nexa ſunt & apta, deeſſe poteſt ſanitas. Habilitatem quoque corporum inde non pendere, patet exemplo Gigantis, & navigij permagni, quale illud Ptolemæi Philopa-

toris, urbis inſtar, de quo præter *Athenæum Plutarchus in Vita Demetrij, c. 59.* Nam his,ut harmonia & apta connexio non deſit, habilitas tamen deeſt. Nec habilis arcus, gladius, telum, per majorem quandam connexionem partium & harmoniam æſtimantur. Quæ ſcire,non inanis eſt ſubtilitas.

Ita quoq, corpora moralia, ſeu ſocietates, firma aut invalida judicantur, prout earundem partes inter ſe bene aut ſecus invicem innexæ deprehenduntur.) Eſſe firmum & validum, vel contra, duplicem ſuſtinet ſignificatum. Nam aut ſanitatem, ac vim reſpicit interiorem, aut præterea robur corporis & vim externam. Quorum differentia hinc apparet, quod ſanus eſſe poteſt,qui non ſit robuſtus. Utro ſignificatu hic accipias (accipiendum autem priori)falſa eſt oratio. Nec ſequitur, ſine tali connexione iſta non eveniunt (fatemur enim neceſſariam) ergo talis connexio iſtorum eſt menſura. Aliud longe ſubeſt, inquiſitu ſane dignum & utile. Sciendum etiam, corpora moralia,ſeu Societates, differre, & ali-

& aliam eſſe imperfectiorem, ubi eſt jus ſine imperio; ut fœderatæ gentes liberæ: aliam perfectiorem, ubi eſt jus cum imperio quodam; ut paterna, maritalis. Perfectisſima vocatur civitas, ubi eſt ſummi imperij vinculum. Non autem omnium iſtarum partes, per naturam rerum, æque bene invicem nexæ, aut æque validæ ſunt: nec tamen idcirco ſtatim ægræ.

Adeoq; prout concinnam formam, aut irregulare quid, & monſtroſum præ ſe ferunt.) Concinnitas formæ non ſequitur ex bona partium connexione: cum hæc in illis etiam corporibus eſſe posſit, quæ ex parte vel toto irregulare quid aut monſtroſum præ ſe ferunt. Opponit enim Autor ſibi invicem, concinnam formam, & irregularem ac monſtroſam: etſi neſcio an ſatis accurate. Non enim inconcinnum eſt, quicquid irregulare, vel monſtroſum, e.g. Pantheon, ovali figura extructum, & pumiliones quidam. Qualia in phyſicis corporibus quandoq; eveniunt, in artificialibus autem, moralibus, ac civilibus ſæpisſime: quo-

rum cauſſas indagare, non eſt hujus loci. Deinde iterum negatur, quod hic applicatur ſocietatibus, ex concinnitate formæ corpora firma judicari. Præterea notandum, irregulare & monſtroſum non eſſe idem. Quod monſtroſum eſt, irregulare eſt: at non contra. Eſt autem aliquid irregulare, & valde irregulare, ſeu monſtroſum, vel ratione quantitatis, vel ratione qualitatis, vel aliter. Sic in moralibus monſtroſum eſt, quicquid valde & palam injuſtum; ut tyrannica urbis alienæ occupatio. In civilibus monſtrum eſt, juſtæ civitatis aut membri modum inſigniter excedere: quorum prius fecit Alexander. Qui, quod in militaribus optime callebat, nimium Darij exercitum contemnens, in civilibus præ ambitione haud percepit, ne magiſtro quidem *Ariſtotele*, *in Politicis* egregie de his præcipiente. Et talium monſtrorum, non phyſicorum, domitorem extitiſſe Herculem; imaginem viri ſapientis & heroici, cum alia, tum *Heraclidis Pontici Allegoriæ Homericæ* docent. Sed de ejusmodi monſtris non tam facile eſt judi-

 cium.

cium, quam facile naſcuntur. Oportet enim definiendo ad multa reſpicere. Poſſunt vero & irregularia corpora eſſe firma, & monſtra quædam robuſtisſima. Quod vel poëtarum Minotaurus, & Titanes, civile quid adumbrantes, indicant.

Satis autem ex ſuperioribus apparuit.) Quonam argumento? *Ad ſimplices Rerump. formas referri, prout vulgo à Politicis illæ deſcribuntur, non patiatur.*) Interrogo, quem vulgi, quem Politicorum voce Autor maxime deſpiciat: Dabo interim, quod petit. Eſt enim noſtra Reſp. mixta: mixtis autem ſolent ſimplices opponi. Quod ſi Monzambanus, ſine more, ſine uſu, dicat *ſimplices*, quæ non trahunt aliquid de eſſentia plurium civitatum; næ ingens ſit Simplicius.

Eo curatius nobis ingenuinam ejus Imperij formam erit inquirendum, quo craſſius &c.) Id ſi præſtitum eſſet, uti ſane oportuit, non provenisſet forma Imperij ſpuria, & ſententia ſi non craſſa, adeo certe tenuis, ut nullâ ratione capienda, evaneſcat in auras.

 Sub-

Subtilitates Scholaſticas.) Veniæ hac petitione forſan haud fuiſſet opus: quia non tantâ prodigentiâ illæ admiſcentur, nec tam delicatæ plerorumq; aures. Oſtentationi igitur potius, ut alia plura, dandam arbitramur.

Difficilius eſt citra hæc ſolidum de Germaniæ ſtatu judiciũ ferre.) Dubito. Nam nec Germaniæ ſtatum ex Scholaſticis didiceris, nec irregularem illam formam, quam ſolus vidit Monzambanus, nec veram prudentiam civilem: in qua ſi quid tangunt, magis ferè intricant, quam expediunt: & hæc ipſa, quæ bene dicunt, elegantiora ac meliora alibi invenias. Tentavit equidem *Lampadius* præ ceteris doctrinam de Republica explicare *vocabulis*, ex Metaphyſicorum ſchola depromtis: ſed hoc quoq; infeliciter cecidiſſe autumat Annotator *Conringius, ad part. 1. pag. 45. Tr. de Rep. Rom. Ger.* Quod incurrit in quæſtionem, de tractandæ ampliſſimæ hujus ſcientiæ modo. Nec propterea in Scholaſticis omnes, aut omnia contemnimus, aut in omnibus: nec ipſarum diſciplinarum, quas

quas Scholaſtici ſibi aſſumunt, præſidia ſimpliciter & ὁλυκῶς excludimus.

§. 2. *Circa ſingulas ergo partes, ſeu Ordines Imperij ſeparatim ſpectatos, parum eſt difficultates.*) Primum, ſi hoc loco *partes* non politice accipiuntur, cum reſpectu ad civitatē, ut ad totum, ſed ſinguli Ordines conſtituunt ſingulas Reſpublicas, formâ accidentali differentes; male in ſeqq. de eo laboratur, *quæ toti corpori Germaniæ forma ſit aſſignanda*: ſi vero bene de hoc quæritur, male in præſentiâ de forma principatuum & reliquarum partiū Germaniæ pronunciatur. Nam alias hoc eſſet plusquam monſtrum, uniforme ac multiforme, & Reſpublicæ in Republicâ. Niſi eâ utaris loquendi figurâ, cujus exempla affert *Conring. d.l. pag. 61.* ſed quæ huc non pertinet. Ac neceſſe eſt, vel in Germaniâ univerſâ, vel Ordinibus ſingulis, umbram tantum eſſe ac ſimilitudinem civitatis. Scio, aliis quoq; ſcriptoribus hæc non attendi, ſed videlicet *craſſis* iſtis. Nec jam de formulis ſermonum, quæ inoleverunt, ſed rebus ipſis agitur. Quare primum omnium ſolven-

da erat quæſtio præjudicialis, utrum Germania, an Ordines ſinguli, ſint vera civitas? & ex quâ notâ civitatis propriâ hoc diſcatur? De quo infra latius. Ad hæc, quod Autori creditur parum difficile, nobis invenitur difficillimum. Nam, ut largiamur, ſingulos Ordines efficere ſingulas civitates, aut ponamus, de ſimilitudine civitatis quæri; non poteſt noſci forma, ſine exquiſita Politices cognitione, & judicio practico, & intimâ notitiâ cujusq; Reipublicæ: quæ in rebus longe plurimis, diſperſis, abditis, ambiguis, contrarijs, ſaltem apparenter, conſiſtit: ita ut vix tandem unus de republica una videatur poſſe judicare, ac formam ejus liquido & curate aſſignare. In quo miror, etiam viros, qui videntur ſibi αὐτοὶ, & pragmaticorum principes, exiſtimationem ſuam totiens præcipite judicio lædere. Plus ergo hîc requiri, quam tria meſpila, vel ex ſequentibus fiet manifeſtum.

Omnes Principatus, Seculares & Eccleſiaſtici, nec non Comitatus, Monarchiarum inſtar gerunt.) Primo, hæc diviſio Ordinum

num *μοναρχούντων* non eſt accurata. Ubi enim Præſules,& alij,aliæve? Si in Principatibus Eccleſiaſticis latent (quod an ſatis recte fieri poſſit, alij diſquirant) Comites quoq; & alij, includi potuiſſent Secularibus. Deinde hæc jam prima difficultas,quæ Autorem coëgit,ambiguâ locutione, *Monarchiarum inſtar* illis tribuere. Si enim illud *inſtar* veram ipſi Monarchiam denotat, pugnabit cum *poteſtate limitata*, quam nonnullis mox Principibus admetitur; ſi adumbratam, pugnabit cum *poteſtate abſoluta*, qua alios extollit. De quo paullo poſt. Et quid de illis Principibus Comitibusve, ubi communi plurium voluntate & conſilio,vel omnia, vel potisſima negotia,vel ab uno quidem, ſed omnium nomine, & reſtricte, & hæc rurſus variis modis, expediuntur? vel ubi certæ partes regionum (Samtherrſchafften) à communibus ſociis posſidentur, ut inter vicinos varie ſolet? vel ubi Status à Statu regalia quædam accipit, & quæ ſunt ſimilia? Quæ *Conringius* quoq; non videtur cogitaſſe, *ad Lampad. pag.* 12.

 ibi:

ibi: *Principatus omnes itidem regium quid,&c.*

Quod alicubi Principum poteſtas ſit abſoluta, alicubi limitata per certa pacta cum Statibus, quos vocant, ſeu Ordinibus Provincialibus.) Primũ, mihi quidem Princeps in Germania haud innotuit, cujus poteſtas, etiamſi removeas ſupereminentem Imperij poteſtatem, ſit prorſus libera, pura, expers pacti, & ſimilium, ac non ſaltem longâ conſuetudine aliquatenus reſtricta, quod præſertim ad Ordinum Provinciæ bona, juſta, ſacra, attinet. Deinde dubito, an illa Principum noſtrorum pacta cum Ordinibus Provincialibus, ſane variantia, recte opponantur poteſtati abſolutæ, & Principum, illis adſtrictorum, conditionem faciant deteteriorem? inprimis ex noviſſimæ *Capitulationis Cæſareæ* mente, *art.* 3. 7. *alijs*, ipſaq; praxi, & Autore, *cap.* 5.

Urbium autem liberarum.) Quid rei ſunt Urbes liberæ?

Nonnullæ Ariſtocratico utuntur regimine.) Hoc cum ſeqq. cito dicitur, ſed ſi ad ſpecialia deſcendendum ſit, & audienda

dienda varia objectionum lemmata, multum ſudoris, credo, Monzambano eliciant.

*In quibus nempe penes Sena*tum eſt ſumma rerum &c.*) Omnia hæc per ſimilitudinem, & ſecundum quid duntaxat, vera ſunt, partimq; ſatis nude & crude dicta: ut latius oſtendi poſſet, ſi vacuum eſſet aliter in his verſari, quam ut canes Nilum lambunt.

§. 3. *Certiſſimo argumento Reip. valde irregularis.*) Diſputans hîc Autor de totius Imperij Germanici forma, duo dicit: primo, Remp. illud eſſe (quod utraq; manu accipimus) ſed valde irregularem: deinde, hoc certisſime conſtare ex diſſenſione Conſultorum Juris Publici. Quod ad prius attinet, primo ſciendum, non omnem disſimilitudinem ac diſparitatem eſſe irregularitatem, multo minus monſtrum, ſed quæ diſſideat à verâ ſuâ regulâ. Natura enim ipſa, gaudet varietate. Deinde, quidnam ergo per *regulam* hîc intelligatur, quæſtio eſt? An regula communis, ſeu ratio ac ſcientia civilis; & hæc vel abſoluta ac

in ſeſe, vel ut à Politicis ſcripto comprehenditur, aut præcipuis, aut vulgo, aut ex æquo omnibus; ſyſtematice, vel quocunq; modo? An regula propria, & nempe doctrina de formis, vel ſimplicibus ſolis, vel admiſſis mixtis; vel ſolis rectis, vel ut corruptæ etiam, rectis oppoſitæ, comprehenduntur? Licet vero colligere ex Autoris verbis, eum *ſcientiam civilem*, & *Politicorum* ſcripta, & *vulgi* quidem, indeterminate (etſi *vulgi* voce omnes, & in his præcipuos, ac heroas, videatur infra ſe collocare) in oculis habuiſſe, & negat, ceu videtur, formas *mixtas*, & *corruptis* non contentus, quæ ad ſimplices reducuntur atq; mixtas, quarumq; eſt eadem diſciplina, novas & inauditas procreat, *irregularium* titulo. Omnia hæc mendoſe, & contra principia legesq; artis, contra naturam rerum & experientiæ fidem. Igitur ſufficit negare iſtæc & improbare, quoad valide probentur, ſub exemplis. Alias quodammodo concedi poſſet, Imperium Romano-Germanicum non diſpar modo ac diſſimile civi-

tatibus aliis, ſed etiam irregulare eſſe. Nec hilum valet argumentatio, quæ pro certisſima venditatur: Disſentiunt ſcriptores circa formam, Ergo ita eſt irregularis, ſicut ab Autore poſtulatur. Nam ne illud quidem confeſtim ſequeretur, Ergo aliquo modo eſt irregularis. De quo non diſſentitur? Ergo omnia illa ſunt irregularia? Alia hîc longe cauſſa eſt disſenſionis, nempe ignorantia rerum civilium (quæ in ſeqq. Autori tangitur) vel Germanicarum (ubinam ſcilicet, & quatenus, unumquodq; individuale, ut ſic dicam, majeſtatis jus ſit, verum verè) vel utriusq; (maxime quoad fundamentalia) vel vitium voluntatis & affectuum, vel ratio inſtituti, vel diſſenſio eſt apparens.

Qui omnes & ſinguli utiq; jus de Rep. deliberandi, & ſtatuendi in Comitiis habent.) An & ſinguli? non congruit locutio. Nec *deliberare* jus videtur imperij.

Imperator autem inſtar Principis proprie dicti habebit.) Si Princeps proprie dictus non eſt, qui gaudet abſoluta poteſtate; etiam improprie tyrannus atq; fur dice-

tur,

tur, qui ex libidine animi imperat, aut dolo malo rem alterius contrectat. Nam & hæc vocabula antiquitus aliter accepta. Immo *Princeps* proprie & τὴν ἀρχὴν eſt, primus: mox reſtrictum ad primarium Senatorem, deniq; ad Imperatorem quemvis, pari ſolennitate. Et in vocabulo *inſtar* iterum offendimus, quo ſimilitudinem notari credimus. *Inſtar montis, equus. Quantum inſtar in ipſo eſt?*

In Democratiis Græcanicis degentes.) Cur non etiam in aliis?

Quis enim liberis hominibus, & patribus fam. in Regno aut Ariſtocratia viventibus, civium nomen denegabit?) An ergo libertas & familia ad civis nomen ſufficiunt? Vereor, ne inter plurima & hoc incurrat in Jus Statuum.

§. 4. *Pleriq; queis exquiſitam rerum civilium ſcientiam, & erectam libertatis ſtudium oſtentare placet, pro vera & mera Ariſtocratia Germaniam venditant.*) Hæc oratio multos involvit conceptus, ſimulq; Autoris ambitionem ac protervíam. Expeditisſimum eſt, eam negare.

1. *Non eſſe, quod quis externa rerum facie.*

cie.) Eſt hæc reſponſio ad illorum argumentum, qui ſtant pro Monarchiâ; non ſimpliciter quidem vera, ſed tamen ſecundum aliquid. Invenies talia apud *Bodinum*, & *Hippolytum à Lapide*, utrumq; exterum: quos alij deinceps incautius aſſectati.

Superbo apparatu titulorum.) Superba illis hæc videntur, qui rationem majeſtatis Imperatoriæ non capiunt, nec cum aliorum imperiorum faſtigiis, ut oportet, comparant, Germaniæq; Ordinum Privilegia obiter contuentur. Exteris aliæ quoq; rationes ſunt, de quarum non juſtitiâ modo, ſed & prudentiâ (variat enim vices Deus) ipſi viderint. *Superbum* ſcil. notat aliquid nimium. Ipſi igitur potius ſuperbi, ita qui judicant: quibus retundendis tria tantum annotabo. *Primo*, haud dubie ſua ſibi jura quædam (vide ſequentia) habet Imperator, quæ ad majeſtatem & Imperium totum ſpectent, quod de nullo Ordinum poteſt dici: & conſequenter eatenus recte colitur, ut habens *plenitudinem poteſtatis*, ut Monarcha, & quidem

talis

talis imperij, quod cum omnium utiq; primum ſit, primarius ei cultus convenit. *Secundo*, reliqua etiam habet jura majeſtatis, ſed cum Ordinibus, ut aliquis Optimatium primi loci, in eodem imperio; ita tamen, ut tantum ſolus poſſit, quantum reliqua tria Imperij Summa Collegia ſimul ſumta (*v. Paurmeiſt. de Juriſd. l. 2. c. 2. n. 20.*) adeo ut homo unus comparetur, cum tanto Imperio univerſo, cujus Senatusconſulta ab illo debent fieri rata, aut aliter conveniri. Quicquid ſcribat *Hippolytus à Lap. part. 2. c. 4. ſect. 4.* Inde formula, wir mit ihnen/ und ſie ſich hinwiderumb mit uns vergleichen/ ut *R. J. an. 1654.* §. So haben wir. Ne de reliqua ejus auctoritate & efficientiâ haud inficiandâ dicam. Electores enim, & qui ex Principibus vetuſtis ab Electoribus vel Cæſare pendent, & Status Eccleſiaſticos, & Principes novitios, minoresq; ceteros, ac Civitates, nutum Cæſaris fere ſequi, notum eſt. *Tertio*, ſi quid etiam poteſtati Cæſaris decedit (non enim virtuti, quæ & præcellit poteſtati, & interdum derogat) acceditq;

Ordi-

Ordinibus, ſanequam potentibus, & Regum æmulis (de Electorum præcedentiâ notum, quâ cæteris Principibus ac Rebuspublicis liberis etiam in Legatis ſe anteferunt, & in Concilio Tridentino exſplenduerunt) tamen ex hoc ipſo tantâ è diverſo dignitas ad Imperatorem redundat, in tam excelſum Ille faſtigium unâ attollitur, cui tanti homines tantopere ſe ſubmittunt, ut nulla humanæ mentis acies illud culmen nubibus æquale poſſit aſſequi, & inter infimum ac ſummum diſtantia videatur infinita. Ac rurſus, quanto plus eminentiæ & ſplendoris per illam ſubmiſſionem Cæſari accedit, tanto plus ad Ordines talis Imperij, & ſocios curarum talis Imperatoris (qui ab illis temere non eſt diſtrahendus) neceſſario rediti. Itaq; ſemper, non colorem, ſed arcanam prudentiam, in illis Maximiliani I. & Caroli V. dictis notiſſimis agnovi, quibus ſe *Regum Reges* profeſſi ſunt, aliter etiam veriſſimis; ut vel Rex Bohemiæ, Imperij Archipincerna, & Jus Imperatorium creandi Reges, docet. Expendatur & locus *Eſ. 10. 8.*

Daniel.

*Daniel.*2, 37. Omitto Agamemnonem, qui *rex regum* ſalutatus, haud dubio honore. De præcedentiâ Electorum modò dictâ, Imperator Ferdin. III. g. m. notanter in Literis ad Deputatos ſuos, Monaſterij agentes, an. 1644. Zumahln auch daß dieſelbe / als unſere innerſte Räth und Seulen des H. Reichs / davor halten / daß uns / als dem Oberhaubt / hiedurch mehr Hoheit zuwachſe / als entgehe. Quo major eſt, qui paret, eo major, qui imperat. Bene ergo dixit, qui dixit: *Magis honorabilis, magisq; timenda Imperatoris perſona* (ſuo modo) *ex Principum potentia & dignitate* (ſuis terminis cohibitâ) *efficitur.* Quicquid cavilletur Autor in ſuperioribus. Poſtremo ingens differentia inter titulos quorundam Regum Barbarorum (quos merito inanitatis & ſuperbiæ accuſaveris) & Germanorum; inter honores vanos, atq; veros, & inprimis ſingulari Fati favore præſignes. Et interdum vitium ac ſuperbia eſt in defectu. (*Quorum pars magna ex genio linguæ Teutonicæ, inanibus honorū verbis luxuriantis.*) Digna plane hæc eo qui ſe pro peregri-

-no venditat; non tamen eo, qui pro Italo & Veronenſe. Quantum enim lingua Italica, & compiures aliæ, amant talia, usq; ad curioſiſſimas & perridiculas adulationes; tantum Germanica lingua & indoles, ut notiſſimum eſt, abhorret: exceptis, quæ ex peregrinis idiomatibus, & vel ambitione, vel ratione, nuper ſunt invecta, vel aucta.

Penes illos enim reverà ſummam eſſe poteſtatem, quibus competit jus de ſumma rerum proprio ex arbitrio ſtatuendi.) Quid ſi nunc aliquis ſubſumeret, Imperatori competit tale jus, E. penes illum revera eſt ſumma poteſtas? Minori fulciendæ poteſt allegari jus notorium distribuendi (vi propria) Nobilitates, Doctoratus, Palatinatus, impertiendi veniam ætatis magnatibus, jus civitatis (Stadtrecht) jus nundinarum ſolennium, academiæ, & alia privilegia, quæ indubie redundant ad Jus Legum. Quorum vim qui requirunt, inſpiciant Diplomata, & uſum. Agere autem de his & aliis Cæſari competentibus (quæ dicuntur in ſanctionibus Imperij, Keyſ. beſondere Ho-

heit

heit und Reſervaten / & videntur omnia illa occupare, quæ Capitulationibus haud excipiuntur) non jam animus eſt. Vide *Lampad. Remp. Rom. Ger. part. 3. cap. 13. 14. & 16. Ottonis Grote Legiſlat. German. p. 16. & ſeqq.* ibiq; citatos, & communiter regalium ſcriptores, ipſumq; Autorem, *cap. 5. §. 27.* Etſi, quam difficile & anceps ſit, enumerare illa & explicare, vel hinc patet, quod, cum in tractatu Pacis Weſtphalicæ ab his, quæ *art. 8. Inſtr. P. §. Gaudeant*, leguntur, Cæſariani exciperent, *quæ ad Imperatorem ſolum pertinent*; eaq; reſervata & jura propria Status quidam peterent exprimi; omitti potius verba illa placuit.

2. *Non repugnare naturæ Ariſtocr.*) Propoſitionem hanc concedimus. Sed aſſumtionem, quæ ſilentio tegitur, medici egere dicimus. Idem eſt de ſeq. ratione: cui non opus annotando immorari.

Quod cum forma ſit principium operationum.) *Limnæus*, cum *Albergate*, eſt in hac ſententia. Argumentum, ut oportet, formatum, ita habet: Qualis forma, tales operationes: At ubi unus imperat, forma

ma reip.eſt regia, E.ibi omnia,quæ fiunt in repub.ſunt regia,& ab uno fiunt;adeo ut non modo unus conſtituere posſit magiſtratum, ſed etiam neceſſe ſit, magiſtratum eum eſſe unum hominem. Apparet vitium ex ipſa enarratione. *Reſponderi* dicit Autor à nonnullis, *diſtinguendo adminiſtrationem in eam, quæ fit nomine proprio,& quæ fit alieno. Illam quidem concedunt non poſſe diſcrepare a forma Reip. hæc autem quo minus diſparem faciem oſtentet,nihil obſtare. Et ita rem eſſe.* Sed hæc reſponſio non ferit nervum. Præterquam enim, quod *adminiſtrationis* vocabulũ eſt magiſtratui convenientius, quã regi vero, ſi curate ac proprie, ut Autor, velis loqui & philoſophari: explicatur tantum mens adverſæ partis,non refutatur. Nomine enim proprio remp. regere, eſt gubernatio ipſa; alieno adminiſtrare, gubernandi modus. Itaq; reſpondemus,in eo fucum factum, quod hîc operationes, & gubernandi modus, non ſunt idem, uti præſupponitur. Illæ enim notant eſſentiam actuum, hic accidentia. & inſtrumenta: quæ, ſi ſunt homines,&

ab

ab homine diriguntur, fallunt interdum dirigentis ſpecie: ſicut fere extrinſeca formam intrinſecam obumbrant. Poſſe igitur concedi argumentum, niſi plus eſſet in concluſione, quam ex præmiſſis ſequeretur, aut quatuor termini occurrerent, ut Dialectici loquuntur. Probandum enim illud, Quales ſunt operationes, talia plane & inſtrumenta, & operationũ eſſe accidentia. Reſpondet Autor etiam velut ex abundanti, *Axioma illud in naturalibus duntaxat procedere, non in illis, queis actionum ſuarum libera competit gubernatio.* Sed negamus, agentia libera alter agere, quam pro ratione formæ. Itaq; limitationum illâ multiplicatione & ingenio nil videtur opus.

§. 5. *In ſcholis diſputari poſſunt.*) Quæ Monzambanus ſtatuit.

Nam ad Ariſtocratiam requiritur, ut ſumma poteſtas ſit penes ſtatum aliquem & perpetuum Senatum.) Hoc argumentum nihil efficit. Fallit enim Minor, intuitu Ordinum Imperij. Si vero vocabulum *Senatus* ſtricte capias, reijcitur Major.

Cujus

Cujus ſit deliberare & ſtatuere de omnibus negotiis ad Remp. ſpectantibus.) Vel per ſe, vel per alios; &, ſi non ſemper actu ſecundo, primo tamen. Sine hac limitatione iſtâ non admittimus.

Magiſtratibus certis.) Vel ex ipſo Senatu, vel ex aliis, Senatui ſubditis.

Qui Senatui rationem geſtorum teneantur reddere.) Ordines ſingulos, ac privatos quoq; (ut Lutherus fecit) rationem reddere teneri univerſis, eorumq; capiti, in Imperio, teſtis inter alia eſt *R. J. de an. 1529.* §. Und nach dem. Landfried zu Worms/ *an. 1495. tit.* welche umb Friedbruchs willen. Taceo multarum Rerump. Reformationes.

Camera enim & Judicium Aulicum ſuper appellationibus duntaxat cognoſcunt.) Hæc quoq; peregrino digna eſſe, aut oblivioſo admodum (vid. Autor *pag. 133.*) intelligunt, qui legerunt in *Ord. Cam.* von Perſonen und Sachen/ die von ihrer Art und Eigenſchafft wegen / ungeachtet ob ſie mit der ohne Mittel dem Reich unterworffen / in erſter inſtanz an der Keyſ. Cammergericht gehörig. Quæ ad

 Judi-

Judicium Aulicum quoq; pertinere, manifeſtum eſt. Et, ſi verum eſſet maxime, quod dicit Autor, tamen ex eo valide inferretur, jus judiciorum ultimato reſidere apud illos, unde judicia iſta pendent. At ubi jus judiciorum à pluribus pendet (vid. Autor p. 134. & 136.) pars eſt Ariſtocratiæ Inepte enim hic nominantur Judicium Imperiale Aulicum & Camera: cum nominandi potius eſſent, à quibus illa pendent, quiq; mandant jurisdictionem. In quo accurate definiendo, non judicia modo diſtinguentur, ſed & jus judiciorũ dividetur, & objectum ſive caſus. Et videndum, ne jus judiciorum confundatur cum jure magiſtratuum. Quæ an præſtiterit Autor, diſignato *cap. 5.* aut debuerit, non jam inquirimus: cum præſertim de Excelſo Judicio Imperio-Aulico nondum ſatis liquido pronunciari queat.

Comitia nullo modo ſtati ac perpetui Senatus inſtar habent) Tricæ meræ, ſed facile ſolvendæ, ſi reputes, in quo conſiſtat eſſentia Ariſtocratiæ? quomodo differant Optimates, & Senatus? quid revera ſint

ſint aut dici ſoleant Ordines Imperij? quid comitia, & alij quoq; tales conventus? Adde diſtinctionem, ab Autore ipſo aſſertam, inter *formam*, & *adminiſtrationem*, uti quidem loquitur. De vocabulo *inſtar*, tantopere dilecto, ſupra.

Cui de omnibus negotiis totam Remp. concernentibus diſponendi ſit poteſtas) Negatur. Omnia, quæ totum Imperium tangunt (immo etiam quæ partem) toti Imperio curare in Comitiis fas eſt. V. Regiments-Ordnung de an. 1500. tit. von den zwantzigen; quæ forma regiminis licet ita nunc non ſit in uſu, tamen jus ac poteſtas Imperij inde patet. Et ex *Inſt. Pac. art. 8.* §. *Gaudeant.* conſtat, *publicam utilitatem & neceſſitatem* in univerſum eſſe materiam Comitiorum, & *negotia Imperij*. Niſi aliqua diſerte, vel conſenſu ſaltem, alio ſint translata, aut remiſſa, ob commoditatem, vel urgens periculum. Nec ſequitur, ſpecia ia quædam (licet ſint ampla ſatis) in Inſt. Pac. ob momenti magnitudinem aliasq; cauſſas exprimuntur, E. cætera excluduntur. Nam reſponſio eſt in ipſo §. Gaudeant, ibi:

ibi: *præſertim*; item *aliave ejusmodi negotia*; & mox, *nihil horum aut quicquam ſimile*. Adde, præter experientiam, *Paurmeiſt. de Juriſd. J. R. l. 2. c. 2. n. 28. & ſeqq.*

Quæ peculiares duntaxat ob cauſſas convocari moris eſt.) Etſi hæc ſatis nude dicuntur, ut ex jam dictis eluceſcit, concedemus tamen. Quid inde? aut unde Ordinibus poteſtas, cauſſas Domi cæteras expediendi?

Credere autem Comitia, & quod in illis ſuffragiorum pars major prævalet, eſſe infallibile indicium ſtatus Ariſtocratici, valde ſimplex eſt) Argumentum hoc, ut proponitur, fallere nemo inficiabitur. Eſt autem verum, primo negative. Ubi enim nullus conventus ac deliberationes, nulla vis majoris ſuffragiorum numeri, ibi nulla eſt Ariſtocratia, certe hactenus non fuit. Deinde, verum eſt, Ubi talia ſunt Comitia, qualia nunc Germanorum, ubi & ſuffragiorum pars major rite prævalet (cui minor dum ſubjicitur, negatur ſingulis τὸ αὐτονόμως ζῆν) & alia huc facientia concurrunt, ibi eſt quædam Ariſtocratia. Corruunt ergo,

quæ

quæ ſequuntur apud Autorem, ut longe diverſisſima, & pudendam ignorantiam involuentia. Notandum etiam hoc loco, in Comitiis non ſolum illum modum ſtatuendi per majorem ſuffragiorum numerum, nec in omnibus cauſſis obtinere: quod tamen Ariſtocratiam non ſtatim evertit, ſed variat, & Monarchiam eatenus tollit.

Inter ſocios arctiori fœdere in unius velut ſyſtematis.) Sumtis vocabulis, ut oportet, infraq; explicabitur; non video, quî huc quadrent ſubſequentia Amphictyonum, Achæorum, Helvetiorum exempla. Dicuntur priſcis Syſtemata Civitatum, quæ ex pluribus civitatibus in unam, & formam imperij laxiorem, metu aſtrictioris, ſponte coiverunt: quale *Λυκιακὸν σύστημα bis Straboni* dicitur, *l. 14.* Id vero Autor non videtur velle: ut ex oppoſitione *in* §. 9. amplius intelligitur. Præterea rem Helvetiorum, & Belgarum, ſpecie differre credimus: quas conjungit Autor. De Achæis amplectimur illud, apud *Liv. l. 39. c. 38. Specie æquum eſt fœdus apud Achæos, re preca-*

via libertas. Adde *Juſtinum, l. 34 c. 1. toto.* Idem ſenſerim de Amphictyonibus: quos Achæes comparat ac deſcribit *Strabo, lib. 9.* titulo ſyſtematis.

Quorum in ſocios non minor autoritas, quam Comitiorum Germanicorum in Status Imperij) Explicata hæc, ut contextus poſtulat, negantur abſolute. Ac notandum, ſyſtemata civitatum, vel quaſi, neceſſario aut comunia habere veri imperij jura, quædam vel omnia (Autori non videntur ea poſſe dividi) aut non. Si habent, unam veram civitatem efficient cum quoq; Ordine, vel quocunq; nomine indigitetur, in quantum jura illa erunt communia; nec ſingulæ per ſe dicentur civitates, nec pugnabunt cum ſententia, quam impugnat Autor, ſed valebunt contra ipſum. Si non habent, huc non pertinebunt. Imperium enim noſtrum *Reipublicæ* nomen (*d. art. 8. Inſt. P. §. Habeantur*) & prædicata, ac jura imperij ſibi vindicat: ut inprimis ex *eod. art. §. Gaudeant*, liquet. Non continetur ſola jure, ut civitates fœderatæ, ſtricte vocabulis acceptis; ſed etiam imperio.

perio. Hinc juſſa legum, & judicia: quorum formulas, ordinem, executionem, velim inſpici. Quid? Imperium noſtrum ſolo jure naturali & gentium continetur? Reſpondeat ad hoc, ſic placet, Autor.

Singuli tamen Senatores non minus, addicte univerſo Senatui pareant.) Illa, *non minus addicte*, habent obſcuritatem. Obſequium univerſis Senatoribus à ſingulis deberi in Ariſtocratia, certum eſt. Sunt autem, ut imperij, ſic obſequij, plures gradus. Aliter ſervo, aliter libero imperamus; aliter filio, aliter uxori; eodemq; modo aliter civi, aliter huic vel illi civi; in hac republica ita, in alia aliter. Quod ſi certis privilegiis, juribus ac prærogativis, ſociorum aliqui vel omnes decorati (nam & in Monarchia multi multis ſæpe rebus eximuntur aut cumulantur; ut, ne provocare liceat ab ipſis) nec ſtatim fas eſt reliquis ad libitum illa adimere, nec alteri neceſſe ſtatim ea derelinquere. Etſi in hoc quoq; negotio *ſunt certi deniq; fines, quos ultra citraq; nequit conſiſtere rectum.*

Quo loco moneo, annotata D*n. Conringij ad Lampad.pag.18.& 19.* caute eſſe legenda; ut alia plura in iſtis folijs.

Et in illos æque atq; in hos jus vitæ & necis exerceatur.) Hîc quoq; vocem *æque*, ſi de omnimoda æqualitate capiatur, nigro calculo notamus. Similiter & vocabulum *exerceatur*, quod actum magis denotat, quam potentiam, non ſatis eſt idoneum: deniq; & *jus vitæ ac necis* explicationis indiget; ſicut etiam generale, quo ſupra utitur, *coërcitionis* vocabulum, dum ait: *coërceri & ſocium, enormiter in leges fœderis* (improprie dictas) *peccantem, per reliquos poſſe.* Adde *pag.* 149. *&* 150. Illud enim tantum quæritur, an *puniri* proprie poſſit; &, ſi poſſit, quid ex hoc ſequatur?

Id quod longiſſime à libertate Ordinum Germaniæ abeſt) Ordines Imperio ad obſequium teneri, ex legibus recentiſſimis, & binis (quandoq; pluribus) ſacramentis, nullâ humanâ calliditate eludendis, certum eſt. Hinc dicuntur paſſim in Conſtitutionibus, Unſere und des Reichs Unterthanen. Idem Reipublicæ

& Ipſo-

& Ipſorum ſalus vera, decus verum (ex virtute, non ambitione, æſtimandum) haud obſcure exigit: pro quibus merito, re dubia, præſumitur ac pronuntiatur. Quicquid Autor *cap. 3.* garriat. Nec ipſi Ordines, puto, aliud de ſe credi volent. Privilegia ſane excipiuntur, & differentia inter Ordinem Imperij, & ſubditos alios, ac magiſtratus etiam (niſi ſingulos cum univerſis compares, manente tamen ſic quoq; eminentiâ quadam ſingulari) utrâq; manu datur. Sed, ut dixi, certos eſſe fines neceſſe eſt: &, ut Imperium decet rite omnia ac cum cauſſæ cognitione agere, ſic partem toti ultimô cedere, ac ſubordinari: ne Rebellionis & Exemtionis caſus, qui variis remediis in Imperio vitatur, eveniat. Jus vitæ & necis exerceri, vel exerceri poſſe, in cives & ordines Imperij, pro ratione hujus Reipublicæ, palam eſt. V. *Ord. Cam.* Landfried. *Executions* Ordn. *Rec. Imp. de An.* 1532. 1551. 1564, 1566. *&c.* ac fatetur Autor ipſe *cap. 2.* ubi concedit *executionem juſtitiæ contra Status contumaces.* Adde *pag.* 106. De cæteris, quæ circa

exercendi modum, ordinem, effectum (*v. art.* 8. *J. P.* Grundveſte/3,5.) deſunt, non minus definitionem expectare par eſt.

In Ariſtocratiis privatum ſibi patrimonium habent Optimates) Primum vitium hujus argumenti eſt,quod ad Ariſtocratiam reſtringitur id, quod ad omne reip. genus vult valere. Deinde, ferendum non putamus illud, propter ſequentia (quod alias ferri poſſet) in Ariſtocratia civium & Senatorum bona *pertinere* ad Collegium Senatorum univerſum. Videtur enim potius Oligarchicum. Tribuitur quidem ſummæ poteſtati Dominium Eminens, ſed reſtringitur certis conditionibus. Eadem eſt ratio de illa locutione, *ſi removeas, quæ ad ſingulos pertinent Ordines,nihil remanet*.Dominatum enim ac barbariem intromittere hæc videntur, loco adminiſtrationis, quæ ſingulis Ordinibus competit in bonis civium Germanorum: de qua,ſi mala ſit, rationem reddere tenentur, ut ex ſupradictis intelligitur. Jam porro, Minor eſt falſisſima, cunctis Imperij Ordini-

bus

bus nullum eſſe jus in ſingulorum Ordinum aut civium bona. Quid eſt enim declaratio in Bannum? quove pertinet jus collectandi? & quæ his annexa; v. *R. J. de an. 1570.* §. Es ſollen auch Cammerrichter. Ne de feudali dicam qualitate. Inſpiciatur & *Capitul. Leopold. art.* 12. ibi: dem H. Röm. Reich und deſſelben Zugehörungen; item, ichts ſo dem Heil. Röm. Reich zuſtändig; adde *art.* 30. 31. *&* 32. Obiter notanda contradictio Autoris, circa vim feudalis nexus, *pag.* 149. *Nemini*, inquit, *denegari poteſt, qui intra legitimum tempus petat.* Pugnat cum majeſtate, quicquid eſt fiduciarium; h.e. quomodocunq; definitum, ut *tempore*, ut caſu feloniæ, banni, & aliis.

Magnum habebit malum, ſi quis apud iſtos aſſerere audeat, univerſis Ordinibus in ſingulorum bona tantum competere poteſtatis, quantum in Seren. Rep. Veneta toti Senatui in bona ſingulorum Senatorum.) Ridiculum: non eſt opus, tantum poteſtatis Ordinib⁹ cōpetere in bona civium, quantum in hac vel illa Rep. ſolet. Nam ut poteſtatis in perſonas, ſic in bona quoq;,

aut reſpectu bonorum, varij ſunt gradus, pro ipſarum conditione & genio. Illud probandum, plane non eſſe Ordinibus poteſtatem, quæ aliquam Ariſtocratiam veram efficiat. Scite *Ariſtoteles, Polit. l. 1. c. 3. Sunt multæ ſpecies & imperantium & parentium: ſemperq́ melius eſt imperium, cui parent meliores; ut imperium in hominem præſtat imperio in belluam.* Interim leniores eſſe Ordines, quam ut magnum ſtatim malum dent injurioſis dictis, Monzambanus experitur.

Nam quod adducunt dictum Alberti Moguntini.) Ad hoc reſpondens Autor, partim temerarius eſt, ac ſtudium partium prodit, partim irritus. Plura de hoc polythrylleto non addimus. Illud tamen quæras, quo pertineat ſcriptum, in Principes, & defunctos, & egregie monentes, & ſat commode loquentes, dicax? & an Alberto defuerit exquiſita civilium cognitio? & an à tali Præſule eam requirere putidum foret? Quæ monſtra?

§. 6. *Monarchiarum ſunt duæ claſſes, abſolutarum & limitatarum.*) Dicere voluit, *abſolutæ, & limitatæ.* Cæterum ſi natu-

ram

ram regni κτ νόμον, ſive limitati, ſatis Autor intelligeret, vel ad remp. mixtam, vel ad aliam ſimplicem, puta Ariſtocratiam aut Democratiam, retuliſſet. Quicquid limitat poteſtatem (ſive juramentis, ſive pactis injuratis) cum majeſtate & regno pugnat: ſicut vel ex oppoſito, *poteſtate abſoluta*, patet. Abſoluta enim poteſtas quid eſt aliud, quam ſummum imperium? Indicare hoc videtur Autor ipſe, inquiens: *In illis* (abſolutis) *penes ſolum regem eſt poteſtas.* Quare & *Bodinus* (de *Rep. l.* 1. *c.* 8.) *Principatum* dicit *Ariſtocratiæ formam, in qua unus cæteris dignitate prior eſt.* Removenda vero hinc limitatio arctior vel (ſi mavis) declaratio nudæ & jam antea limitatæ voluntatis, quoad officium imperantis. Qui enim vel ad juſte judicandum, vel ad dandum privilegia neminis jus læſura, & ſimilia, palam ſe obligat, non ut cum aliis quid contrahat, & ſic imperet (quod non eſſet *abſolutum*) nec ut in ipſa poteſtate quicquam illi clauſum ſit, quod nempe dantes, aut quos hi velint, retineant, tuentur,

tur, vindicent; voluntatem quidem oſtendit limitatam, poteſtatem liberam. Nam majeſtas, ſicut anima, non poteſt concipi ullâ parte trunca, ac veluti mortalis, ſed tota adſit & in civitate vigeat neceſſe eſt. Totâ indiget civitas, ſi vult eſſe & manere civitas. Hinc Philoſophi, *Sublatâ quacunq; parte tollitur totum*, ſi loquaris nempe de eſſentiali. *Quod* vero *lex non cantat* (ut JCtorum habet brocardicum) *nec nos cantare debemus*. Ergo tali caſu poteſtas abſoluta manet penes Regem. Deeſt enim illi quidem poteſtas contraveniendi, reſpectu Numinis; at non reſpectu civium: quia quod non adimitur, transfertur, retinetur, vel communicatur, id ſub generalitate imperij collatum cenſetur, aut relictum. Si vero quædam partes imperij delibentur, tam neceſſe eſt mixtam credi remp. quàm Monarchia credi nequit ſi omnes.

In his autem Rex circa exercendos actus ſummæ poteſtatis certis legibus eſt adſtrictus) Hæc deſcriptio etiã abſoluto Regi poſſit aptari. Dupliciter enim dixeris regnum aliquod abſolutum: quod nullis

plane

plane legibus humanis (de divinis enim hic non quæritur) circumſcriptum eſt, quale in Europa hodie non datur; & quod deſcriptum quidem legibus circa exercendos actus ſummi imperij (e. g. nominavimus judicia, privilegia) ſed nihil ei detrahentibus, & conſequenter alio transferentibus aut dividentibus: quod ultimum hujus loci eſt. Exemplo ſunt Ægyptiorum Reges apud *Diodorum Sic. l. 1.* Adi & *L. 4. C. de Legibus.*

Etſi abſolutam in Imperatore poteſtatem qui agnoſcat) Diſtingue cum temporibus jura, & concordabit ſcriptura. In univerſum tamen recte dixeris, Imperatoris poteſtatem hodie non eſſe abſolutam. Licet hoc colligere ex *R. J. de an. 1559.* §. Damit dann hinführo / *R. J. de an. 1570.* §. Weiters nach / *R. J. de an. 1654. §. fin.* aliisq;, & inprimis *Capitulationibus.*

Æque abſurdum, ex viſione Danielis, quam ex libris Juris Romani, Imperatoris Germanici poteſtatem velle definire) Sat pol proterve & confuſe, de divinis & inexploratis rebus: quas alij excutient. Diſtinctio *Romani* à *Germanico*, & locutio, *Imperator*

perator

perator Germanicus,poſſent ferri,niſi conſtaret de mente Autoris. Sed hæc quoq; alij. Jus Romanum pars eſt Germanici. Itaq;, in quantum prius non tollitur per poſterius,ex illo definiri poteſtatem Imperatoris Germanici nullo modo poſſe, haud eſt vero ſimile. Praxis quidem aliud oſtendit: nec in ijs Germaniæ legibus,quæ Romanas confirmant, talis exceptio vel diſtinctio, qualis ab Autore innuitur, reperitur. Quamobrém putant,jura Cæſarum antiqua non penitus antiquata, ſed tantum per Capitulationem acciſa, &, quatenus expreſſe non correcta,adhuc vigere.*Lampad.ſupra c. l. Arum. 1.de J.P.diſc.7.Schüz.Coll.J.P.Diſp. 1.th. 9.f.*

Quod Imperator neminem) Imperatorem Provinciæ Hallandiæ comparare, multo abſurdius. ac dilutius cenſeo, quam priſcis Romanorum Auguſtis componere. Aptius Imperium totum unius Hollandiæ Præfecto &Ordinibus contuliſſet,quantum ad perfectæ civitatis rationem.

Inania titulorum) Dominum Clementis-

tiſſimum vocari Cæſarem, & ſubſcribentes de obſequio ſuo prolixiſſime polliceri, tibi ſunt *inania titulorum*, Monzambane? at non piis, fidis & obedientibus Imperij. Ordinibus, qui debitæ reverentiæ externæ internam quoq; jungunt, & verba factis probant. Sie nehmen ihre der Keyſ. May. geleiſte ſchwere Reichspflicht in ſolche allerunterthänigſte obſervanz, daß ſie in ihren actionibus und führenden proceduren einig und allein ihr Abſehen darauf richten/ ut Status quidam in Literis ad Imperatorem ſancte ſe teſtatur. Quo pertinet declaratio Ordinum Evangelicorum, im Oßnabruggiſchen Haubtbedencken: Fürſten und Stände ſind erbietig und willig/ der Röm. Keyſ. May, als Ihrem allerhöchſtgeehrten Oberhaubt/ alle Ehr/ reſpect, und gebührenden Gehorſam zu erweiſen; ſeind auch gar nicht gemeinet/ Deroſelben einiger maſſen zu nahe zu tretten/ und in deme zu beeinträchtigen/ was Ihrer May. vermög der Reichsſatzungen allein gebühret/ und als ſummo Principi reſerviret worden. Quare & ſequentia dicta, partim

falſa

falſa & imperitiæ plena, partim injurioſa ac levis animi ſigna, ex animo deteſtor. Non debent bonis nocere quæ à nonnullis malis fiunt. Et ſcribis formulas illas ſolennes imputare, putidiſſimum eſt.

§. 7. *Qui Imperatori tribuunt poteſtatem Regiam & ſummam, non tamen abſolutam*) Hæc, ut ex ſuperioribus patet, ambidextra ſunt. Si ita intelligantur, cum *Reinkingio*, & ſequacibus, ut leges illæ & reſtrictiones nihil veræ Monarchiæ derogent, reijcimus. Si ita explicentur, ut in quibusdam derogent, qu[illegible]m integra relinquant (quod ad mixturam referimus) cum Limnæo, & aliis, amplectimur, verbaq; illa toleramus. Si vero ita, ut omnia derogent, & Ariſtocratiam impermixtam efficiant, qua vel comprehendatur Cæſar, vel excluſus, mera ſimulacra obtineat (quo nihil imperitius poſſet dici) rurſus nego, & verba illa implicare dico. Neq; hanc ſententiam oppugnat *Hippolytus à Lapide*. De quo quæ judicat Autor, nō ab ipſius ingenio ſunt profecta; ſicut & alia pluſcula.

Uti

Uti recte ſummam ac regiam poteſtatem Imperatori in Ordines detrahit) Non ſimpliciter hæc ſunt vera atq; juſta.

Quaſi vero neceſſarium ſit Ariſtocratiam exiſtere, ubi Monarchia abſoluta non datur.) Bene: imperfecte enim ſane format ſtatum controverſiæ *Hippolytus*, 1, 3, 1. Neceſſe tamen eſt, poſitâ civitate & imperio, ut oportet, & remotâ Monarchiâ verâ, dari Democratiam (quæ aperte hinc aliena) vel Ariſtocratiam, vel remp. mixtam. Jam de Imperio Ro. Germ. optionem Autori relinquimus.

Nam po[illegible]quis ex pacto duntaxat) Hæc quoq; parum feliciter contra Hippolytum. Quæſtio eſt, an ſuperior ſtatim ſit, qui munere reip. & quidem primario dimovere aliquem poteſt, eo qui dimovetur? Negans Autor, exemplum affert muneris privati, *cum quis ex pacto plurium communibus negotiis gerendis præponitur*. Ne dicam, quod qui dicitur negotiis *præpoſitus*, reapſe quodammodo ſervit. Nec diſtinctio, inter remotionem ex pacto, & ex jure imperij, ſatis firmo talo nititur. Ipſa enim talis pacti natura ſic videtur

tur comparata, ut eo alteri quis ſe ſubjiciat, tanquam judici, & exiſtente conditione, pacto inſertâ, fiat privatus. Nec, quoad applicationem, tale de remotione pactum in Imperio novimus.

Etſi ſaltem circa Henricum IV. & Adolphum Naſſovium) Immo & Wenceslai deſtitutio indubie nonnihil habet dubitationis: quæ, cum jure deſtituendi Cæſarem in univerſum, materiâ delicatisſimâ, alij diſcusſerunt. Certe causſa, propter quam imperio motus eſt, communior videtur, quam ut ex eâ de Imperij ſtatu posſis quippiam huc pertinens inferre.

Nam uti Imperator invitis Ordinibus nihil poteſt injungere) Non debet hoc concedi. Privilegia enim, & quæ alia ſibi ſepoſuit, imperium in ſe continent, etiam in invitos. Et juſtis mandatis obſequendum eſt.

Sed per modum contractus.) Atq; adeo non invito, nec dum Cæſari, ſed tamen (quod notabile momentum) ut fiat Cæſar.

Si contra conventa quid Ordinibus velit in-

injungere Imperator, impune poſſint ipſi non parere) Diſtinctè hîc agendum. Nam in conventis illis ſeu capitulationibus, alicubi in partem poteſtatis veniunt ordines, alicubi non; alicubi clauſula, de nullitate certorum mandatorum, aut ut permiſſum ſit mandatis non parére, occurrit, alicubi non. Quamobrem alicubi nimium erit, imperium ſtatim contemnere, ſupplicationum & aliis remediis intermiſſis, alicubi de vi ferendâ, alicubi de inferendâ, vel propulſandâ, vel deſtitutione (qui caſus nunquam eveniat, exoptamus) obſervatis tamen juſtis requiſitis, aut electo rite Rom. Rege, quæri poſſit. Quo pacto etiam illis per accidens excideret, quæ ſummo jure ſolus tenet.

Ex communi pactorum natura) Rectius dixiſſet, ex diviſione imperij. V. *Grot. de J.B.l.*1.*c.*4.§.13.

Publicæq; exiſtimationis reverentiâ) Subeſt alius item metus, ex dependentia Ordinum ſingulorum, non à Deo modo, ſed & ab Imperatore & Imperio, unde jura iſta recognoſcunt; non obſtante,

quod

quod Ordinibus in *Inſtr. Pacis* (certo ſenſu ac reſpectu) *independentia* tribuitur: ibidem enim & dependentia inculcatur. De quo mox plura.

Sed puto Ordines ipſos contentos eſſe, quod à Cæſare nihil poſſit ſibi imperari, quod diſpliceat) Iterum negatur. Nec id Deus velit, talem Germaniæ ſtatum, vel oriri vel perdurare, ipſis Ordinibus poſterisq; haud placiturum, certe Haud profuturum, & Gigantomachiæ ſimilem. Non enim tales Ordines ponit Autor, quibus ſola placeant honeſta.

§. 8. *Magis urgent iſti,* [illegible] *Imperatori poteſtatem regiam, & Ordinibus libertatem &c.*) Si Germania eſt regnum limitatum, limitata erunt vel quædam jura regia, vel omnia; & vel ita, ut poteſtati limitatio aliquid decerpat, vel ut aliter obliget. Si omnia, vel quædam jura, obligatione quâdam ad ea, quæ naturaliter, juſta, limitata ſunt, quæ non eſt proprie limitatio arbitrariæ poteſtatis; libertas Ordinum erit nulla, ſed temperamentum modo, libertatis ſpeciem præferens. Si vero omnia, vel quæ ei tribuun-

buuntur,ſunt limitata vere; Laconicum erit regnum, & Ariſtocratia temperata. Si quædam limitata, quædam libera, mixturam habes.

Nam qui de mixtis Rerump. formis garriunt, nullo modo ſe expedire poſſunt. Nimis confidenter. Sed audiamus probationes. Interim notanda Autoris ἀντιλογίας quædam, qui *Conringium*, à ſe haud parum antè commendatum, garrulis nunc inſerit. Nam & ille dari reſpublicas, ſimplici natura non conſtantes, ſed compoſitas, omnium ſeculorum uſum laudans, & German[illegible] illis annumerans, cum *Lampadio* a[illegible]nat. Etſi male putat, nunquam non fuiſſe mixtam, idq; extendit ad Europam univerſam: ſi tamen proprie loquitur, ut quidem res vel tempora exigunt. Nam *Ariſtotelem* quoq; mixturam interdum ſimplicibus rebusp. ſed mixtas imitantibus, tribuiſſe non ignoro.

Præterquam enim quod qualiscunq; mixtura nonniſi monſtrum aliquod civitatis producere apta ſit.) Qualemcunq; mixturam (quod, ne parum benigni ſimus, de pro-

prie

prie ſic appellatâ capiemus) monſtrum parturire audio, rationem (niſi ſit majeſtatis indiviſibilitas) non audio. Et futilis eſt ſententia Autoris de ſtatu Germaniæ, ſi ideo mixtura improbanda, quia monſtrum parturit. Negarunt eam quidem & *Bodinus* (qui ad *Rerump. corruptiones* refert, *lib.2. cap.1. de Rep.*) & alij, rationibus incongruis. Sunt nempe diſtincti ordines in civitate. Et majeſtas, eſt jus ſummum directivum in agendo. Actionum vero claſſes itidem ſunt variæ ac diſtinctæ. Hinc certa *reip. munia, partes, jura,* ut ſcriptoribus appellantur. Nec vero ad rem facit, hic an ille ordo hæc vel illa munia ſummo jure teneat ſeparatim, vel cōjunctim, vel ut ἐξαιρέτως in modum præcipui. Neq; certam & immutabilem hæc habent legem, ſed â voluntate hominum, ut hæc â conditione civium & ratione temporum, pendent. Ea eſt regula harum actionum. Quæ ergo cum illâ conveniunt, nihil monſtri alunt: Cum hæc ipſarum ſit natura. *Nec minus majeſtatem habet* (inquit *Lampad. Rep. Ro. Ger. part. 1. §.62.*) *qui*

qui unam reip. partem independenti poteſtate gubernat, quam qui ſuo ſolius imperio remp. abſolvit, ſeu qui ſolus rerum omnium potitur. Etenim non amplitudo & ratio objecti majeſtatem definit, ſed formalis & independens rerum gerendarum poteſtas. Et, quæ poteſtas politica à nullâ aliâ, ratione dependentiæ & cauſalitatis, patitur, ea ſumma eſt & prima, atq; adeo majeſtatica. Ex objecto autem majeſtatem non eſſe æſtimandam, vel inde cognoſcitur, quod majeſtas & magiſtratus circa res eaſdem verſentur. Actus autem recte ſunt diſtinguendi, nec, quæ cohæ[illegible]s vi divellenda. E.G. creare magiſtratus, & judicia exercere, ſunt heterogenea; cognoſcere de facto, & ſententiam ferre, homogenea. Deinde, quid res ferat, oculo perſpicace & practico, ut ſic dicam, non theoretico, ut fit, ſpectandum eſt, utendumq; magis inductione & exemplo, quam ſyllogiſmo. Poſſunt & alia perite miſcendi, & opus ejuſmodi conſolidandi, præcepta ac leges obſervari. Quibus recte perpenſis, non omnis mixtio improbabitur. Nam ſi quis dicat, ſummi imperij eam eſſe in-

dolem, ut dividi nequeat: huic ſcholaſtice agenti, ſcholaſtice poſſis reſpondere, non videri in mixtura diviſionem, ſed extenſionem majeſtatis ac potius unionem, in pluribus civitatis ordinibus. Et hinc *mixturæ* vocabulum: quanquam alij *partitionem*, in partes nempe ſubjectivas, malunt. Atqui lites è mixtura oriuntur. Quid ſi hoc inverteremus? nonnunquam certe litium id remedium. Obſervatis vero, quæ diximus, non orientur lites, niſi per accidens. At facilius hîc ſubnaſcuntur lites, quam alibi. Eſto: quid inde? Occaſio facit furem, Ergo neceſſarium eſt furtum, poſitâ occaſione.? Annon vero hinc ſequetur, ſolam Monarchiam non eſſe monſtrum? Imperium ſummum non eſſe plane individuum, præterquam quod ex Autore ipſo non difficile ſit evincere, apparet inde, quod per diverſos adminiſtros poteſt exerceri, & paullatim in ſe trahi. Apparet etiam ex ipſius Imperij noſtri hiſtoria, & mutationis ex forma in formam momentis. Extincta enim ſtirpe Carolina, non agentibus nihil Pontificibus,

binis

binis maxime gradibus à regno ad mixturam venit, per Privilegia, & Legem Palatinam ſeu Capitulationes. Illis temperatum obſequium, his acquiſitum & ex parte imperium. Illa variis iterum gradibus, vicibus, cauſſis, modis, obtenta & confirmata; unde *Reſervatorum Cæſaris* origo: harum (quæ ſunt velut Reſervata Ordinum) ſimiliter plures modi, pluraq; incrementa, per ſingulos retro Cæſares. Nec ab eâ formâ adhuc dum diſceſſum. Faxit Deus, ut ſalutari ratione figatur tandem ac immotus conſtet reip. orbis. Qua de re multa poſſem dicere, ſi locum haberem.

Nulla ejusdem ſpecies ad Remp. Germ. accommodari poteſt.) Non video, quid obſtet, quo minus dici poſſit Ariſtocratia Monarchiâ mixta: ut vel ex dictis intelligitur. Etenim ubi alia jura ſummi imperii, eorumve partes, ſunt in ſolidum penes unum, alia penes eundem & plures alios ſimul; ibi eſt Reſp. ex Monarchiâ & Ariſtocratiâ conſtituta. In Imperio ſunt. Ergo, Prima propoſitio concedenda nobis eſt, mixturam eam ſic defi-

nientibus. Altera ſupra jam probata eſt, & probatur vel ſolâ Cæſarum Capitulatione, qua nonnulla Cæſari ſoli relinquuntur, vel expreſſe(lege cum diſtinctione & judicio *art. 46. Capitul. Ferd. III. art. 44. Capit. Ferd. IV. & Sacratiſſ. Leopoldi* vel tacite, ut complura, aut dum firmantur Imperij Conſtitutiones & Conſuetudines: ad alia Electorum (de quibus fere controvertitur, & A. B. conſuli jubetur) Ordinumve reliquorum exigitur conſenſus, uti paſſim Inde notanter, des H. Reichs Jurisdiction, Authorität und Hoheit; Item, Unſer und des H. Reichs Zwang und Jurisdiction. Et nunc ſolius Imperatoris, nunc Imperij, comprehenſo Imperatore, in talibus mentio fit. Cui vero competunt neceſſariæ partes definitionis, eidem competit definitio. Super eſt ergo, ut negetur, hæc talia eſſe imperij civilis jura, actus, munia: quod eſt ignorantis naturam majeſtatis & eſſentiam. Nec diſtinctio inter *jura majora*, & *minora* quam pridem improbarunt docti) rem conficit. Et falſo atq; fruſtra quis ingereret

reret illud, *Una hirundo non facit ver*, ubi de eſſentia majeſtatis & partibus curatè quæritur, nec de vi poteſtatis, & autoritate, & eminentiâ cœlo proximâ, dubitatur. Itaq; ſi hæc omnia conjungas, adhuc ambigi poſſe puto, Monarchia an Ariſtocratia in Imperio præponderet? ac regula, *A potiori fit denominatio*, etiamſi aptè hoc quidem loco à Philoſopho adhiberetur, alternaret judicij lancem. Valet ergo contra Autorem confesſio, quæ habetur *cap. 5. §. 27.* adde *pag. 107. med.*

In qua neq; univerſa poteſtas ſumma eſt penes plures indiviſim, neq; ejusdem poteſtatis partes inter diverſas perſonas aut collegia ſunt diſtributæ) Prius membrum nihil ad mixtas pertinet reſpublicas, ſed probare vult, Imperium non eſſe Ariſtocratiam meram: poſterius laborat vitio vel inſufficientiæ, vel obſcuritatis. Similitudine res fiet clarior. Adeatur aliqua Hereditas: ea ſic cernetur, ut heredes illam vel communem velint eſſe ac indiviſam, vel herciſcantur, vel partim communem habeant, partim dividant, concedentes ſcil. aliquid alicui, tanquam jure præcipui.

Simili modo res habet cum imperio civili. At ſi omnia jura omnibus ſint communia, non dicetur mixtura. Si dividantur, aut partim communia ſint, partim aliquid alicui concedatur, ut proprium, hoc eſt quod mixturam dicunt. Apparet ergo, duas eſſe mixturæ ſpecies, quarum alteram *diviſionem*, alteram *communicationem* poſſumus dicere, ab eo, ad quod propius accedit. Illam eſſe difficiliorem, non negamus; hæc facilius poteſt contingere, & contigit: quo referimus Germaniæ præſentem ſtatum. De quibusdam tamen controvertitur: ſicut de ſtatu Romæ ſub imperio Servij Tullij fluctuant opiniones, inter Monarchiam & Ariſtocratiam, Monarchiam & Democratiam, Monarchiam & Ariſtocratiam & Democratiam. Sed ex tribus conſtituta reſp. facilius laudatur, quam invenitur.

Illa omnia, quæ Imperatori per Capitulationes præſcribuntur, ſtare poſſe cum regno limitato.) Diſtingue, ex ſuperioribus. Poſſet etiam aliquid notari ad ſequentia.

Id quod in Germania ſecus eſſe,cuilibet notum.) Caute accipe. Nam in Germania quoq; Cæſar eo usq; omnes cives eminet,ut ſuam libertatem ſuaq; jura cum ejus poteſtate univerſâ comparare nemo audeat,ne Imperium quidem totum.

Nam nemo ex Germaniæ Ordinibus admiſerit.) Hinc §. cum ſeq. multis modis peccat. Primo, quod iterum Dominatum & Entia independentia invehit,illis verbis, *ditiones ad ſe pertinere*, item *proprium commodum in gubernando eſſe reſpiciendum.* Licet enim dicatur comparatè, ad Imperatorem : tamen, quia & ſupra abſolute dictum,& Imperatoris perſona cum Imperio connexa eſt, ac illi etiam primore loco jurata ſit promiſſio, de commodo ejus indagando,præſtandoq; obſequio; nón poteſt ferre abſolutoriam. Deinde,quod omnibus iſta tribuit, quod affirmat,*ſibi quemq; tendere*, *bellum in alios ſtatus aut exteros ſumere*, *fœdera cum alijs ſtatibus aut exteris inire inconſulto Imperatore*, *quicunq; viribus ſuis ſociorumq; confidant*, *Cæſaris reverentiam inter inania fere ſimulacra haberi.* Ab hac PoliticaDæ-

moniaca (ad quam pleraq; iſta pertinere manifeſtum eſt) & jure manuario, fideles Imperij Ordines animitus abhorrent: nec, quid contra factiones & fractiones pacis publicæ, & ſimilia facinora, Capitulatio ac Leges aliæ Imperatorem admoneant, ignorant vel cõtemnunt. Atq; adeo peccat tertio, quod ex his, quæ viâ facti interdum à nonnullis attentantur, qua ritiâ fere miniſtrorum, & externo ſcelere, aliisq; causſis, contra leges nempe recentisſimas, reliquorum Statuum aſſenſum, & decretam mali emendationem, cujus fid[illegible]quotidie expectatur; formam reipublicæ, nec quatenus oportet, ſpectat. Non debet fines ſuos egredi infamiâ.

Ex Imperio nullos reditus percipit) Omnia hæc, ad finem usq; §. partim non ſunt abſolute vera, partim quoad conſequentiam infirma, & laxiora: prout late poſſet demonſtrari.

§. 9. *Nihil ergo aliud reſtat*) Aliud à nobis eſt oſtenſum. Scatet vero hic §. vitiis.

Quam ut dicamus, Germaniam eſſe irregulare aliquod corpus, & monſtro ſimile, ſi-

le, ſiquidem ad regulas ſcientiæ civilis exigatur) Omnia hæc inde manant, quod natura civitatis & majeſtatis ignoratur: ex quo nata falſa hypotheſis, non dari remp. mixtam. Unde porro fluit, *ſcientiam* civilem (ut haud immerito ſecundum aliquid, aut late, dicitur, etiam *Ariſtoteli*) non de omnibus agere reip. generibus, atq; adeo (nam hoc ſequitur) non eſſe diſciplinam perfectam, univerſalem, atq; veram, ſaltem ut à viris ſummis hactenus fuit tradita. Illud equidem largimur, Politicam non complecti minutas omnes rerump. differentias & accidentia: ſumma tamen genera & præcepta (de quibus hic agitur) tradat & complectatur neceſſe eſt. Et reapſe ita tradidit, ut nulla oſtendi poſſit reſpublica, quæ non illorum aliquo contineatur. Nam *corpora civitatum fœderatarum*, qua talia, nihil rei habent cum ſphæra civitatis, curateq; volunt inſpici, ſi ad exempla veniendum. Igitur apte dixit Autor *regulas* ſcientiæ civilis, numero plurativo. Nam, ut objectum prudentiæ civilis variat, ob cauſſam & principium variabile,

bile,ita varias quoq; continet regulas.E contrario callide hîc videtur uti nec tam apte vocabulo *ſcientiæ*. Quod ſi tamen & de corporibus fœderatis Autor vult cognoſcere, adeat, quæſo, *Ariſtotelem*, ſcriptorem alias haud imperitum (indicio ſunt deſcriptiones omnium fere civitatum, Græciæ & Barbariæ) *Politicor.lib.3.cap.6.vel, juxta alios, 9.* Niſi grave eſt, jungat *Commentarium Piccarti.* Non probandi, qui diſciplinas, rerum normas (uti paſſim) pernicioſo exemplo labefactant, & in principiis temere verſantur. Pernegamus ergo *corpus irregulare eſſe Germaniam*, univerſim acceptam, id eſt, certum reip. genus, quo referatur, in Politicis non dari; nec vulgarium formarum ullam ei congruere; multo maxime vero, *monſtrum* eſſe, ſi mixta ſit; aut ſtatim *monſtro ſimilem*, ſi ſit quodammodo irregularis. Nam, ut ſupra dixi, non hæc ſunt eadem. Chimæram tamen, h. e monſtrum cerebri, talem eſſe remp. fateor.

In tam male concinnatam formam). Damus, in Reip. Germanorum conſtitutio-

ne,

ne, & maxime adminiſtratione, non eſſe ad amusſim omnia exacta, proportione juſta, cohærentia, ſincera, ſolida. Quod ſatis intelligunt exteri, & alaſtor: quare iſtis ad cupiditatem ſuam abutuntur, & novisſimo huic imperio univerſali cō-parant inſidias; quomodo Romani laborarunt, *ut corpus Achæorum diſſolverent, ſingulasq; urbes proprij juris* (ſouuerai-nes) *facerent, quo facilius ad obſequia cogerentur; &, ſi quæ urbes contumaces eſſent, frangerentur*, memorante *Juſtino*. Verum hoc, ut idem narrat, difficilius Romanis; quod Achæorum Reſp. eſſet optime conſtituta. Quare haud ſane comiter exceperunt dicentes. *Expedire omnibus, ut ſingula civitates ſua jura & ſuas leges habeant*. Hodie fiſtula dulce canit: dum hæc interpretamur *libertatem*. Vide *Florum*, 2, 16. Sed quid inde? an de vitiis, mutationibus, & morbis rerùmp. non agit univerſim Politica? quot & quinam illi ſint? quomodo generentur? quomodo tollendi, aut ſaltem palliandi leniendiq;? Qua in re divinus plane *Ariſtoteles*: modò ſerio cognoſcere placeret. De-

inde,quid de tot aliis dicem⁹ Rebuspublicis & Regnis? *Nullane habent vitia? immo alia, haud fortaſſe minora.* An ergo mera monſtra? Recte *Conringius,ad Lampad.præfat.*: *Omnes in univerſum Reſpublicæ tantum non perpetuo huc illuc commoventur.* Nempe

Seditione,dolis,ſcelere,atq; libidine,& irâ
Iliacos intra muros peccatur,& extra.

Ut neq; regnum,etiam limitatum,amplius ſit) Si conceditur,uti neceſſe eſt, jura quædam regia,ſpectatâ in his non tam qualitate,quam quidditate,poſſideri ab Imperatore; concedendum etiam, hactenus eſſe regnum: ſi conceditur, jura quædā pari vi à Cæſare & Ordinibus exercenda,Lege Regia Germanorum deſignari, non minus ſcilicet majeſtatica; concedendum etiam hactenus regnum limitatum, h. e. Ariſtocratia. Oſtendat Autor, quando quomodove regnum etiam limitatum expiraverit? Quæ Ordines Imperij attribuunt Imperatori (ut audivimus, aus dem Oſnabruggiſchen Haubtbedencken) Cur Monzambanus denegabit?

Licet

Licet exteriora ſimulacra tale quid præ ſe ferant Simulacrum Politicum eſt, cum id agitur, ut credatur, aliquem poſſe & habere, quod non habet, non poteſt. Imperator vero, quæ per leges ab antiquo habet, ea ut tum, ita nunc vere habet, ac potenter exercet, ut in Republica, licet olim plura habuerit. Aurum enim (v. g.) manet aurum, ſive demas ei, ſive addas. Equidem, quid poſſit Imperator, ex Autore ipſo, §. 7. *hujus cap.* & maxime *cap. 5. §. 27.* quodammodo patet. Quem ſcive velim, ſacris imperij ſymbolis ac ſolennibus titulis optimo jure, & extra ſimulationes ac inanis juramenti ludibria (nam id utiq; ſequeretur, & Cæſari & Ordinibus perquam inconveniens) uti Imperatorem, nec non eſſe quod audiat, voluntate Numinis, conſenſu generis humani: cum præſertim, fatente Autore, *præter Deum & enſem neminem agnoſcat ſuperiorem*, aliisq; etiam regnis imperet, nec minus late pateant curæ ejus ac labores, quam Imperij termini.

Neq; exacte corpus aliquod aut ſyſtema

plurium civitatum fœdere nexarum.) Pugnant hæc cum §. 2. *hujus cap.* Certa enim reip. forma præſupponit veram civitatem. Et, *corpus aliquod aut ſyſtema plurium civitatum fœdere nexarum*, æquivoce dicitur. Nam ejusmodi fœdere aut libera in civilibus poteſtas ſingulis imminuitur, omnibus communicatur, aut non. Si prius, aut per omnia id fiet, aut quadantenus. Si per omnia, veram fatebere & exactam civitatem: ſi quadantenus (quod negabit forſan Autor poſſe fieri, cum in majeſtate pars ſequatur partem, ut ver hyemem) intrinſecâ ratione vera erit civitas, aſſumtis eatenus (ut oportet) reliquis ſociis; exterius videbitur rudibus biforme quiddam. Nobis pleraq; illa ſyſtemata civitatum, quæ feruntur, vetera & juniora, videntur vera civitas, ſub ingente libertatis umbra, variisq; differentiis: maxime ubi jus judiciorum atq; belli non eſt liberum ſingulis Ordinibus. *Nulla* eſt enim *contraverſia, unde non bellum oriri poſſit*: ut obſervat *Grotius, de J. B.* 1, 1, 1. Inde putat, *occaſione bellici juris quæcunq; tales incidere ſolent*

lent controverſiæ,recte tractatum iri: adeoq; *d.lib.1.c.3.n.6.& 7.* de ſumma poteſtate tota agit. Idem judicium eſt de Judicijs: ut merito Camera Spirenſis appelletur des H.Röm. Reichs höchſtes Regale und Kleynod. Nihil autem rei eſt Imperio cum ſyſtemate civitatum: quia ab origine fuit & eſt una civitas, nec principium habet ſpontaneum; contraquam *ſyſtemata* civitatum, vel *ſyntagmata*, ut *Straboni* & aliis vocantur. Oportetq; in Germania alicubi totam eſſe majeſtatem. Nam, cum majeſtas dividi nequeat, poſitâ ejus parte, tota erit ponenda: & erit tota in aliquo toto, & tota in parte qualibet,unitâ univerſo: quod erit una ac perfecta civitas. Sive igitur in Imperatore & Ordinibus univerſis,ſive in ſingulis Ordinibus ſeparatim, tota eſt,ſive reliquis omnibus ad ſingulos aſſumtis, ita ut illi quædam vel omnia pariter cum unoquoq; posſint, & hic rurſus cum aliis, eunte imperio in orbem, ſive etiam extra Germaniam (quod tunc fortaſſe potuit diſputari, cum prævaleret Curia Pontificis; nunc non po-

teſt)

teſt) illud omne conſtituet veram & proprie dictam civitatem, vel civitates. Talis vero civitas non poteſt ſtare cum corpore ex pluribus civitatibus fœderato. Nec autem penes ſingulos Ordines tota eſt majeſtas, nec aſſumtis reliquis ſingulas reſpublicas invicem conſtituunt. Quare Imperator & Imperium una civitas juſta erunt. Licet enim ſinguli Ordines plurimis maximisq; gaudeant privilegiis (ſatis quidem variantibus, numero, genere, gradu; & vox ipſa *privilegij* meretur diſcusſionem) adeoq; plusquam magiſtratus aliarum gentium ſint, quamvis inter ſe gradu impares, ac disſimillimi: quod in cauſſa eſt, cur paullo laxior ſit quodammodo catenæ hujus copula, & cognitio difficilior: ita tamen (quod præcipue notandum) *omnia* illa tenent, ut AB & SUB Imperio, REIPUBLICÆ nomine & forma conſtituto, atq; adeo non independenter & abſolute, vel in toto vel in parte, ſi proprie velis loqui: ceu, præter Diplomata, aliaq; Documenta, *ſæpius d.* §. *Gaudeant, art. VIII.* J. *P. in fine*, indicat. Quæ profecto

ſecto cum ratione ſingularum rerump. adverſâ fronte pugnant: & alia ſequuntur incommoda ac dubia plurima ex ſententiâ adverſariâ. Nec medium apparet; cum *eſſentiæ rerum*,ut loquuntur, *conſiſtant in indiviſibili*, & nihil ſimul ſit perfectum & imperfectum.Civitas vero eſt perfecta maxime, confœderatio imperfecta: illa unum quiddam, hæc multa. Qualia cum dicimus,nullius Ordinis (ut videri queat) jura aut eminentiam minuimus, ſed veritatis ope adeo extendimus ac extollimus, ut ſi penitius rem ſpectes, magno id mercandum ſit ambitioſis: quod ipſi Ordines partim ſatis intelligunt. Omnia tamen Imperij cenſuræ ſubmittimus.

Sed potius aliquid inter hæc duo fluctuans.) Illud aliquid videtur Nihil: ac potius mens Autoris fluctuat. Nam conceſſo (quod Deus averruncet) diſſolutionem inſtare huic Imperio, & in partes plurimas frangendum ruere: tamen non poterit illi forma alia tribui, quam quâ ante principium ruinæ uſum eſt, usq; dum perveniat ad finem. Forma enim eſt perfectio rei. Sic Ariſtocratia non deſinit eſſe Ariſtocratia, licet in eâ Oligarchica perpetrentur, licet in Oligarchiam vergat; priusquam eo usq; creverit malum, ut jam dici poſſit, Oligarchia eſt.

Quic-

Quicquid intermedium ac modicum, non curatur à prætore,ſed extremis accenſetur, nec peculiarem formam atq; ſpeciem conſtituit monſtroſam. Et hîc verum illud, *Principale pro forma eſt, in moralibûs*. Intelligimus autem vocabulo *finis*, ad quem perveniri oportere diximus, non converſionum ultimam demum, ſed cujuslibet converſionis terminum, quem ei leges & pacta (velut in Imperij *Republicâ* Inſtrumentum Pacis) figunt. E. G. ſi de forma Reip. Rom. poſt exactos Reges usq; ad Cæſares judicandum; nec principium ſumendum erit; neq; finis tot fluctuum & converſionum, aut dicendum, Triumviralem Oligarchiam fuiſſe. Intervenerunt enim mutationes plures, quibus aliquod ſubinde repagulum & forma nova acceſſit. Quare vel diſtincte reſpondendum, juxta temporum ſeriem, vel in ſummam, à diuturniore & eminentiore ductâ appellatione; &, ſi mixta, poterit præferri, quæ prævaluit, aut ſola nominari. Niſi aliud poſcat inſtituti ratio. Sed hæc obiter: quæ multoties habent uſum.

Quod ipſum exitiabili morbo internisq; convulſionibus perpetuum præbet fomitem) Alius error & confuſio ex aliâ. Non talis forma (ſi forma eſt dicenda, vel ſi omnino tale quid in rerum natura) fomitem præbuit morbo; ſed, ſi Reſp. Germanica per ſtudiũ privati boni (quod *ſemper offecit officietq; publicis conſilijs*, juxta *Livium*) demigraret in corpus aliud, non ſuis nervis interius adſtrictum atq; validum, ſed externo vinculo neſcio quo utcunq; alligatum, ſane hic ipſe motus à termino ad terminum, & hoc medium

(quod

(quod non ſatis explicat Autor) eſſet morbus vere exitiabilis, utpote & eſſentiam civitatis deſtruens, & exiſtentiæ quoq; deſtructionem indubie hîc ſecum ferens. Quare neglectui potius privati boni hoc adſcripſeris, quam ſtudio: etiam quatenus pro maximo & ſplendidisſimo imperio modicum, & abſolutum quidem, ſed acrius minitans ſervitium, eligitur; ut hoc obiter pro ſalute patriæ addamus. Quis paullo avarior non malit centum pro quinq; quam quinq; pro centum accipere? Sapienti ſatis.

Immo ſi tollas mutuam illam inter Imperatorem & Ordines renitentiam.) Sive hæc tollatur (quod ut fieri posſit, prius erit ponenda, & exponendā debite, ac docendum, rediiſſe *controverſias* & *confuſiones*, quas arguit *Inſtr. Pac. art.* 8. §. 1. & *pen*, ſublatâ aureâ hac ſanctione) ſive maneat, eadem erit reip. forma. Diſtinguendum enim, inter quamcunq: mutationem, & quæ formam rei intrinſecam tollit; inter mutationis principium vel ſtatum, atq; finem. Nec ſtatim ſequitur, Imperator & Ordines ambigunt. Ergo Imperium nutat inter fœdus & civitatem; ſed tantum, inter Monarchiam & Ariſtocratiam: argumentum reip, mixtæ, Quare, ſi nec Imperator nec Ordines plus cuperent quam caperent, aut jure nunc tenerent, ut ſperare æquum eſt (nam id *tollendæ renitentiæ* vocabulo Autor, puto, exprimit) maneret Imperium Reſpublica (Monarchico-Ariſtocratica) non fœdus civitatum. Ratio eſt, quia, ſi eſſet ejusmodi ſyſtema fœderatum, ceſſante mutuâ illâ venitentia; neceſſe eſt ut jamjam ibi ſit, ſeu ut ante fuerit. Quod an & unde probari

queat,

queat, aut ſuperioribus conciliari. Autor viderit. Nam hac parte ſimilitudo lapidis, quam affert, eſt diſſimilis, quod ille quidem à cacumine montis ruens, revocantis manu ſublatâ, ad radices ſaxi de reliquo ſponte ruit; majeſtatis vero jura ad neminem ſponte decidunt, niſi ad ſe quis ab alterâ parte trahat, ac, altero vel quieſcente plane, vel infirmo, renitentiam pergendo penitus abſolvat. Quid? quod fatetur Autor ipſe, in debiles Ordines (qui ſunt numero plurimi) adhuc judiciorum atq; legum in Imperio vim valere. Inæquale ergo fœdus, & Cæſar comiter Ordinibus obſervandus, ac Dux fœderis, nomina ſine vi, quæ lambendo velut ac effingendo huic prodigioſo fœtui in ſequentibus & paſſim ſtatuuntur; doctiſſima ſunt deliria. Hauſta vero hæc doctrina, in theſi, cum ſeqq. exemplis, ex *Grotio, de I. B.* 1, 3. 21. quo in cap. etiam Reſp. mixta aſſeritur: adde *ejus cap.* §. 7. Rectius itaq; dixiſſet Autor, ni maluiſſet credere, quod timet: ſi renitentia illa inter caput & membra rurſus exiſtat partim, partim invaleſcat ac continuetur (non ſine *maximis* ſcil. *mortibus, ſumma rerum confuſione*) poſſe Remp. noſtram ſolvi in ſpeciem ſyſtematis civitatum, quodam fœdere nexarum. *Periculoſiores* enim *inimicitiæ juxta libertatem.*

Item in ſocietate bellica ducatus Agamemnonis.) Non æque commodum hoc exemplum, ſyſtematibus civitatum illuſtrandis: licet vox σύςημα militiæ quoq; conveniat. Sed nec prius ſatis congruit.

Etſi fere contingere ſoleat.) Videtur hiſce verbis

bis Autor affirmare, quæ ſimilitudine de lapide modo negaverat.

Ergo commodiſſime ſtatum Germaniæ poſſimus deſignare, quod proxime accedat ad ſyſtema aliquod plurium civitatum.) Si Germania propius accedit ad corpus fœderatorum, quam civium, adeoq; magis talis eſt; quid vetat, quò minus hæc dicatur ejus forma, & appelletur ipſa corpus fœderatum? ne Entia & Monſtra præter neceſſitatem multiplicentur? Sed ad hoc probandum opus erat, ut colligerentur partes eſſentiales utriusq; corporis, & ex utro plures haberet Germania (quoniam inſanire libet) accurate inſpiceretur, idoneis adhibitis probandi mediis. Ego interim ſic colligo: In quocunq; corpore omnia ſunt eſſentialia civitatis requiſita, illud eſt vera & conſummata civitas: In Germania univerſa: E. Probatur ſubſumtio ex eo, quia, ut ex dictis patet, omnia majeſtatis, indiviſibilis ſcilicet, jura (vide Autorem ipſum, *cap.* 5.) & imperium verum, reperitur integre, abſolute, proprie, & eminenter, non apud ſingulos Ordines, ſed Imperium univerſum: diverſoq; reſpectu (quod nemo neget) illi imperant ac parent. *R. I. de an.* 1654. *ibi*: gebieten allen und jeden / ſie ſeyen Stånd des Reichs oder nicht / bey obangeregten Straffen / ꝛc. poſt Inſtr. Pacis. Ordo autem imperandi & parendi, ac poteſtas ſumma, eſt requiſitum civitatis maxime eſſentiale, ejusdemq; forma incommunicabilis, ſi quid ſentio. Ne de aliis notis, ac teſtimoniis, dicam. *Ariſtoteles, Pol.* 3, 6. meminit communium ἀρχῶν, & propoſitæ virtutis,

ſeu bene vivendi in univerſum. Jam vero Germaniæ legibus univerſalibus hoc ipſum eſt propoſitum, teſte vel ſola *conſtitutione criminali Carolina*, & quæ de luxu & aliis placuerunt, vulgo Policey Ordnung. Et commune habent Caput (beſtändig Oberhaubt) Senatum (Reichs-Räthe) Officia (Reichs; und Creyß-ämpter) ac Judicia. Similia de rep. Achæorum tradit *Polybius, lib. 2.* Corpora fœderata, quale Belgium, non habent verum imperium, ejusve partem, qua ſunt talia; aut, ſi habent, eatenus non ſunt fœderata, ſed ad civitatem pertinent: nec impoſſibile, reperire formam accidentalem, ſi noris, quid ſit unus, plures, omnes, unum, plura, omnia. Nempe *fœderis* vocabulum dupliciter accipitur: generaliter, ut & civium ſocietatem continet, quo pertinent notabiliter fœdera inæqualia, jus imperii imminentia: & ſpecialiter, quatenus civitati contradiſtinguitur, quo pertinent reliqua fœdera, ut hoc loco. Sane dici poteſt, rem ſummam noſtram publicam proxime accedere ad ejusmodi ſyſtema quoddam, contentione aliarum Rerump. & per ſimilitudinem; ſalvâ tamen ejus eſſentiâ, & formâ intrinſecâ: quæ hic unice vult deſignari. Imprimis vero tali aſſimilari poterit ſyſtemati, quod ex pluribus civitatibus in unam, ordine parendi & imperandi communiter gaudentem, coit: item ut in muſicis vocatur σύςημα, ſeu *Conſtitutio, plenum veluti modulaminis corpus, ex conſonantiarum conjunctione conſiſtens, quale eſt Diapaſon; vel Diapente, vel Diateſſaron, vel Disdiapaſon*, juxta *Boëthium*. Atq; utinam magis

gis *Achæorum* corporis inſtituta & ſapientiam noſtri imitarentur, quatenus licet. Verum hîc, ut dixi, non ſimilitudo quæritur, ſed forma. Et Autor neſcio quid irregularis, *externâ rerum facie* (quod in aliis carpit) ſtupens, in ſyſtematibus nonnullis, aut Imperij ſaltem orbe, quærirat; daturus, fumum ex fulgore, ac pro novo vendituxus, quod, ſi oculos intendas, omnium vel imi ſubſellij Politicorum taberna ſine fuco exhibet.

Quod tamen corpus atrocibus morbis agitetur. Quinam ſunt morbi, & atroces morbi, corporum fœderatorum (quæ imperfecta intelliguntur) vel exacte vel propemodum talium? Rerump. morbos quidem novimus: Sed his eximitur Germania cum ſuo Imperatore, ſimulacris regiis veſtito, & tantum Protectori, ſi Monzambano credimus. Nec id ſeq. capite oſtenditur.

Ex hoc brevi velut ſpecimine apparet, quid de reliquâ Nonzambani diſſertatione plusquam ſatyricâ (neq; enim eſt, quod videri cupit) ſentiendnm ſit, & ingnorantiam malitiamq; interdum ſub diverſa ſpecie latere. *Quippe adulationi fœdum crimen ſervitutis, malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt.* Operæ forſan eſſet, etiam Adverſarios ejus, inprimis conditorem *Exercitationum XII.* &, annon ejusmodi ſcriptis pondus magis addatur antagoniſtæ, ſub examen vocaxe. Sed hunc laborem, & quæ præterea omiſimus, alijs relinquimus, artis ejus gnaris. Interim bonos omnes, & patriæ, ſtudioſos, obſecro, ut hæc noſtra cum Monzambaneis diligentius contendere, &, uter ad S. Imperij autoritatem, leges,

ac

ac ſalutem bonæq; philoſophiæ rationes, meli
atq; ſanctius dixerit, non modo ſine affectib
judicare, ſed & in actu rerum ac conſiliis mo-
derandæ reip. ſequi & meminiſſe
velint.

Δ. T. Θ.

Digitized by Google